

## C. PLINII CAECILII SECUNDI PANEGYRICVS

### LIII

Imperatoribus aliis cum Traiano collatis, ex multis eius beneficiis maxime laudat licentiam ab eo civibus datam malos principes priores ulciscendi hortandique posteriores.

- 1 Omnia, patrēs cōnscrīptī, quae dē aliīs pīncipibus ā mē aut dīcuntur, aut dicta sunt, eō pertinent, ut ostendam, quam longā cōsuētūdine corruptōs dēprāvātōsque mōrēs pīncipātūs parēns noster refōrmet et corrigat. Aliōquī nihil nōn parum grātē sine
- 2 comparātiōne laudātur. Praetereā hoc pīnum ergā optimum imperātōrem piōrum cīvium officium est : īsequī dissimilēs. Neque enim satis amārit bonōs pīncipēs, quī malōs satis
- 3 nōn ḍerit. Adice, quod imperātōris nostrī nōn aliud amplius ac diffūsius meritum est,
- 4 quam quod īsectārī malōs pīncipēs tūtum est. An excidit dolōrī nostrō modo vindicātūs Nerō ? Permitteret, crēdō, fāmam vītamque eius carpī, quī mortem ulcīscēbātur, nec ut in
- 5 sē dicta interpretārētur, quae dē simillimō dīcerentur. Quārē ergā tē, Caesar, mūneribus tuīs omnibus comparō, multīs antepōnō, quod licet nōbīs et in praeteritum dē malīs imperātōribus cotīdiē vindicārī et futūrōs sub exemplō praemonēre nūllum locum, nūllum esse tempus, quō funestōrum pīncipum mānēs ā posterōrum exsecrātiōnibus conquiēscant.
- 6 Quō cōnstantius, patrēs cōnscrīptī, et dolōrēs nostrōs et gaudia prōferāmus : laetēmur hīs, quibus fruimur, ingemīscāmus illīs, quae patiēbāmur. Simul utrumque faciendum est sub bonō pīncipe. Hoc sēcrēta nostra, hoc sermōnēs, hoc ipsae grātiārum āctiōnēs agant, meminerintque sīc māximē laudārī inculmem imperātōrem, sī priōrēs secus meritī reprehendantur. Nam cum dē malō pīncipe posterī tacent, manifestum est eadem facere praesentem.